



**Eryci[i] Pvteani Pietatis Thavmata In Bernardi Bavhvsii[i]
è Societate Iesv Protevm Parthenivm**

Puteanus, Erycius

Antverpiæ, 1617

E. Mille versus vnus, & in vno. Proteus ornatus cæli, sed æternus,
æternum quoque Auctorem facit: pios omnes, sed auxilio Virginis:
cælestes omnes, quia cælestisipse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70659)

IN PROTEVM PARTHENIVM. 75
atque hoc eodem discrimine tuæ, Virgo, Dotes
sunt; discrimine perfectæ. Aliæ alijs maiores, nul-
læ parvæ: aliæ aliis clariores, nullæ obscuræ. Et
varietatem Virginea venustas habet, sic venusta.

T H A V M A E.

*Mille versus vnus, & in vno. Proteus ornatus ca-
li, sed æternus, æternum quoque Auctorem facit:
pios omnes, sed auxilio Virginis: caelestes omnes,
quia caelestis ipse.*

VERSVS igitur mille quidem computo, sed
vnum cerno. In vno mille sunt: in mille
vnum. Vnum scribo, vt mille exhibeam: sed cælo
inscribo, quem terra non capit. Cælum tam pul-
chro pióque ornari versu debet, & cælo versus:
quippe cælo hic versus dignus, & versu cælum.
Ibi legi debet, vbi Virgo est, vbi stellæ sunt, &
fulgent; vbi Dotes Virginis, tamquam stellæ. Ver-
sus stellæ erunt, aut stellis inscribendi. Stellæ
erunt vt Dotes repræsentent Virginis, & Vatis
Pietatem. Sic verò in cælo Protei mysterium, &
BAVHVSI nomen erit; sed Deo, sed Virgini,
sed æternitati consecratum. Mittet suos quoque
radios in terram hoc mysterium, & hoc nomen,
& amorem Virginis in animis mortalium accen-
det. Legent omnes scriptas in sublimi Virginis
laudes, quia sublimes; & è terrâ ad cælum, à luto

ad ignem, à nocte ad diem vota ac desideria erigent, Cælestes erunt. Tu ô Vates, dum hîc viues, istic loquêris tamen; dum hîc loquêris, istic viues. Quam sic laudasti Virginem, non propitiam modò, sed & præsentem habiturus; imò præsentem, quia propitiam. Iuuat, vbi adest: ac propterea adest, vt iuuet. Sed interim cælo Proteum donat: amat laudes, quæ non poterant, nisi stellis omnibus explicari: amat Proteum, qui non poterat, nisi in cælo scribi. Alij & profani versus, libri, volumina, satis in terrâ felicia sunt, cortici, ligno, æri, inscripta: hic quia versus & librum & volumen facit, æternitatis prærogatiuâ quadam dignus fuit: quia pius, in cælum ascendit, & transfusus per vastû illud corpus formis, ipsum induit, Dotibûsque Virginis insigniuit. Prorsus igitur scribendi felicitatem, inscribendi pietas excipiat: inscriptos cælo versus, scriptos in cælo dixeris.

T H A V M A Z.

*Proteus mundus, Dei index. Proteus Christus, Virgo
E' idō. Déa. ille Deus & homo, hac Mater & Filia.*

MVNDVM esse numen profanus Scriptor ait, *Maternum, immensum, neque genitum neque interiturum* *omquam*. Ait, sed profanus. Genitum & interiturum scimus: immensum nomen, non numen esse. Hoc nomen qui laudare tantum

Plinius,
lib. 11.
cap. 1.